



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***KAYANGANA\****

**IN TANZANIA NOVA CONDITUR DIOECESIS KAYANGANA.**

Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad aeternam Dominici gregis provehendam salutem eiusque regimini aptius consulendum itemque efficacius fovendum evangelizationis opus in Tanzaniae finibus, omnibus mature perpensis auditisque pariter eorum quorum interest votis, censuit eadem in Natione novam condendam esse dioecesim. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Rulengensi dioecesi separamus territorium districtus civilis patrio sermone Karagwe nuncupati ex eoque novam constituimus dioecesim Kayanganam, quam metropolitanae Ecclesiae Mvanzae<sup>nsi</sup> suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in civitate Kayanga atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Georgii dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Iosephus Chennoth, Archiepiscopus titulo Milevitanus et in Tanzania Apostolicus Nuntius; qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo quarto mensis Augusti, anno Domini bis millesimo octavo, Pontificatus Nostri quarto.*

THARCISIUS card. BERTONE

IVAN card. DIAS

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. C (2008), n. 9, pp. 597-598 © Copyright 2008 - Libreria Editrice Vaticana

---

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana